

T10

Bellum Catilinae 25
Il ritratto di Sempronia

25 (1) Sed in iis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. **(2)** Haec mulier genere atque forma, praeterea viro, liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis, Latinis docta, psallere et saltare elegantius, quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuria sunt. **(3)** Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneret; lubido sic adcensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. **(4)** Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscientia fuerat: luxuria atque inopia praeceps abierat. **(5)** Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.